





9322  
1781,25.  
EXERCITATIO IVRIDICA

DE EO, QVOD IVSTVM EST,

CIRCA

EXERCITIVM DIRECTORII COMITALIS

SEDE MOGVNTINA VACANTE.

---

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAЕ

IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE, FACVLT. IVRID. SENIORE,

ET ACADEM. DECEMVIRO

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. IV. MAI MDCCCLXXI.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS ERNESTVS SCHMIDT

LIEBVRGENSIS

---

LIPSIAE

EX OFFICINA BÜTNERIANA

ADRIEN VILLEME  
DOMINI CCCCCCCCCCCC

1550. 1551. 1552. 1553. 1554.

THEATRUS MUSICALIS COMBINATI  
A DOMINI CCCCCCCCCCCC

THEATRUS MUSICALIS COMBINATI  
A DOMINI CCCCCCCCCCCC

DOMINI CCCCCCCCCCCC

THEATRUS MUSICALIS COMBINATI  
A DOMINI CCCCCCCCCCCC

THEATRUS MUSICALIS COMBINATI

MUSICO-ZEITGANG-MUSICO-MININ

THEATRUS MUSICALIS COMBINATI  
A DOMINI CCCCCCCCCCCC

THEATRUS MUSICALIS COMBINATI  
A DOMINI CCCCCCCCCCCC

V I R I S

PERILLVSTRBVS EXCELLENTISSIMIS  
GENEROSISSIMIS,

D O M I N O  
F E R D I N A N D O W E R N E R O  
A V E L T H E I M

DYNASTAE IN OSTRAV, WEISSAND ET DINGELBE  
SACRAE CAESAREAE ET REGIAE APOSTOLICAE MAIESTAT.  
SACRI CVBICVL COMITI

E T

D O M I N O  
C A R O L O H E N R I C O E R N E S T O  
A G R I E S H E I M

DYNASTAE IN NETZSCHCKA  
SERENISS. ELECT. SAX. SACRI CVBICVL COMITI

E T

ORDINVM PROVINCIALIVM EPISCOPATVS MERSEBURGENS.


D I R E C T O R I

P A T R O N I S S V I S I N D V L G E N T I S S I M I S .

P R O  
S I N G V L A R I F A V O R E,  
P R O Q V E  
I N S I G N I B V S B E N E F I C I I S  
O M N I O C C A S I O N E I N S E C O L L A T I S  
V T  
G R A T V M B E N E F I C I O R V M Q V E M E M O R E M  
A N I M V M  
A L I Q V A E X P A R T E D E C L A R E T  
H A N C D I S S E R T A T I O N E M  
S V B M I S S E O F F E R T,  
E O R V M Q V E P A T R O C I N I O E T F A V O R I V L T E R I O R I  
S E C O M M E N D A T  
T A N T O R V M N O M I N V M

*addictissimus cliens*

CHRISTIANVS ERNESTVS SCHMIDT.




## PROLOGVS.



Jurispublici tam vniuersalis, quam particularis studium tanta est praestantia, vt in indagandis huius disciplinae veritatis nemo inconfulte operam perdar, vt potius, qui in eo addiscendo iustam adhibet diligentiam; multum lucis super alia omni iurisprudentia effundat. Quis enim est, qui nesciat, ius vniuersale esse fundatum legum particularium, et plura legibus istis non penitus esse definita, quae ex iure vniuersali determinationem suam accipiunt, adeoque ex eo decidenda sunt?

Indoles vero et natura omnium iurium ex disciplina iuris publici vniuersalis oritur, quantumvis modus et exercitium vel patens vel aliunde definiri queat. Cum in erudiendis legibus particularibus probe perspiciamus, multa, quae in iis deprehenduntur, esse conclusiones ex iure publico vniuersali, quo non bene intellecto, et eas, non possumus agnoscere, nec ad facta obuenientia rite applicare. Sed et alia ratione commendatur iuris publici studium, Ne-



mo enim recte sapientum, in dubitationem adducit, illud efficere, vt disciplinas inter se diuersas non confundamus, vt, quod ad politiam spectat, et quod ad principia ethica referendum est, non ex iuris dispositione interpretetur, vt caueamus, ne ex variarum doctrinarum mixtura morbus vel mors in republica oriatur 1).

Diligentia et assiduitate ius publicum recte intelligendi, quis eo perducitur, vt in enucleanda hac scientia res per causam et modum explicet, non empyrice 2). Denique summam accipit iuris publici doctrina commendationem ex eo, vt nemo in scientia particulari feliciori cum successu progrediatur, nisi ab vniuersalibus faciat initium, quia haec illa praecedere debent, cum ab his suam dicant originem. Continet autem ius publicum ea principia, quae non solum ad statum cuiusvis formae applicari possunt, verum etiam, quae ad ciuitatem bene erigendam, eremam sapienter administrandam, et contra interitus pericula tam externa, quam interna, tuendam, multum adferunt. Quae cum ita sint, nemo nobis vertet virtus, si amore huius doctrinae, ob insignem, quam habet, utilitatem, capti, cum in quaerendo scribendi materia dubii essemus, talēm elegimus, in qua explicanda, et a paucis agitata, ingenii vires exerceremus. In qua quidem scribendi opportunitate e re putauimus, ius quoddam, quo gaudet Serenissimus Saxoniae Elector, de quo, sed perperam, multi contendunt, vindicare, et hanc dissertatiunculam, quantum res, aetas, viriumque imbecillitas patiunt, elaboratam, eruditorum disquisitione subiicere, ea spe freti, fore, vt erudit iuuenilibus hisce laboribus fauorem suum non sint denegatur.

- 1) Treyeri disp. de studiis Imperii Germanici ruinam minitantibus,  
2) Illustris ICtus I. P. de Ludewig in Singul. Iux. Pub. a pag. 18  
ad 69 adduxit, qui in hoc vitium inciderunt,

### S. I.

#### *Historia controversiae.*

Extant in iure, quod per Germaniam obtinet publico, controversiae sat multae, quae in primis modum deliberandi in comitiis

tiis concernunt a). Imperium enim nostrum, cuius caput est Sacratissima Caefarea Maiestas, in tria collegia dispescitur, Electorum, Principum et Ciuitatum, et si quid per conlatum Imperii consciendum est, per haec tria collegia confirmandum, et si vim legis fundamentalis nanciscatur, per Imperatorem adprobandum est. Vnde cuilibet facile erit perspectu, in his collegiis multas subiori controversias. Internam enim horum collegiorum si vis inquire naturam, inuenies, licet illae societates semper maneant aequales; iura tamen eorum ex parte Imperatoris pariter atque Imperii suo cuiusque arbitrio esse relata, ita quidem, ut modus conueniendi, deliberandi, et concludendi non legibus Imperii, sed sua cuiusque particulari conuacione et obseruancia definitur. Si cuidam in hoc collegio Directorium desertur, non ita intelligentum est, ut ille desinat esse aequalis, sed falso aequalitatis nexu nomine totius collegii peragat, quae vel expresse vel tacite ei commissa sunt, sine omni imperio, ut talis director, quantumvis praecipua habeat iura, directorio nomine ei tributa, primus tamen inter pares sit censendus. Cum igitructura Imperii Germanici ita sit comparata, ut ab una parte sit Imperator, ab altera corpus omnium Statuum, quod ratione legum fundamentalium, Imperatorem per modum paeti stringentium, proprie alteram personam compacientem constituit, et quod dum de salute Imperii deliberatur, in statu aequalitatis personalis cum Imperatore vivit, aliter euenire non potest, quin multae oriantur controuersiae inter utramque partem, quae nisi per amicabilem sopianatur compositionem, nulla alia ratione decidi queunt. Inter tales controuersias nulla sere magis vltro citroque agitata est, quam quaestio, cui competat sede Moguntina vacante directorium in Comitiis interimisticum b). Ut vero rem, de qua scribere animus est, recte pertraememus, ab iis temporibus incipendum est, quibus comitia ad nostram usque aetatem continuari coeperunt, nempe ab anno 1663. Primam contendendi ansam praebuit mors Lotharii Francisci Elect. Mogunt. ao. 1675 subsecuta, quo Capitulum Mogunt licet frustra egerit, omnes vires intendebat, ut directorium vacans ad se raperet. Strenue vero his praeventionibus die 13 Iulii ao. 1675 in Collegio


Ele-

❧

Electoralis contradixit legatus Saxonius, cuius argumenta vide apud Ahav. Fritzschium in notis ad Limnaeum L. 9. c. 1. p. 309. Altera vice haec quaestio agebatur, cum Damianus Hatardus ao. 1678 obiret. Quo anno legatus Saxon. facultatem indicendi consultationes publicas, frustra contradicte Moguntino, sibi vindicauit c). Cum etiam nouus Mog. Elector, Carolus Henricus a Metternich ao. 1679 moriretur, legatus Saxonius pro tuenda principis sui causa nonnulla directorii Comitialis iura exercuit, quamuis huic justo et ipsis pacis, nempe Churfaechsicher Vertrag de ao. 1678 stabilito conatui legati Capituli Moguntini Treuirensis et Colonensis resisterent. Mortuo ao. 1690 Elect. Mogunt, iterum haec lis mota est, qua occasione vsque dum nouus a Capitulo eligenter Archiepiscopus, litteris credentialibus in comitiis satis legitimatus, legatus Saxoniae conuocatorias schedulas emisit, et tale ius in hoc casu domino suo competere, optime demonstravit, spretis aliorum pro et reprobationibus. Sed cum quilibet praetendentium iuri suo insisteret, et controversia nondum diuidicata esset, res per conculsum Electorale eo deuenit, vt consultationes, in saeculum Imperii tendentes, interrupta serie continuarentur; quod vide apud Pfeffingerum in Vitriar. Illustr. lib. 3 T. X. p. 731. Decedente anno 1695. Anselmo Francisco nihil de hac lite agebatur, quoniam successor eius anno priori Coadiutor antecessoris electus erat, qui iura eius statim continuabat. Sed augebatur haec controversia mirum in modum, cum anno 1729 Lotharius Franciscus obiret. Causa, cur tantopere contendebatur, latebat in eo, quia Franciscus Ludovicus Eleitor Treuirensis iam in Coadiutorem Mogunt electus, aduersa labora valetudine, dubius haerebat, an dignitatem Electoris Moguntini cum Treuirensi vellet commutare. Vnde factum est, vt per tortum mensem iustitium in Comitiis oriretur. Quae dum siebant, Legatus Saxonius die 17 Febr. 1729 officio Archimarechalatus consultationes indicebat, qui et monita sua reliquis legis, eodem die in conclavi comparentibus, praelegebat. Acceptabant illas indictiones Euangelici status, Treuirensis vero et Colonensis schedulas indicatoriae non acceptabantur. Directorium quidem Moguntinum circa noctem indicare

dicere fecit, non futuram postera die sessionem, adiecta contra praetensiones aliorum protestatione ex praetenis sedis Archiepiscopalis iuribus petita. Attamen die 18 Febr. non solum comparuerunt legati Elektorales excepto Moguntino et Beloemico, sed et ex collegio Principum Guelpherytanus et Pomeranus. Die 20 Febr. iterum indixerunt simul Saxo, Trevirensi et Directorium Moguntinum, iterumque nonnulli comparuerunt legati, de quibus copiose agitur in I. J. Moseri Reichs Fama Tom. VI. p. 325 seqq. Renovata est contiouersia anno 1732 post obitum Francisci Ludouici, ubi Elect. Saxon. ad diem 25 Aprilis indixit sessionem, quod itidem fecit Colonienfis, cuius schedulam non acceptarunt Euangelici, ideo in sculis reliquam. Ad Saxonis indictionem comparere non dubitarunt Euangelici omnes, excepto Würtembergico. Iterum die 28 Apr. sessionem indixerunt Saxonici, Colonienfis, et Moguntinus legatus, posteriorum schedae repudiate, Saxonici vero acceptatae fuerunt, et comparuerunt iterum potiores ex Euangelicis statibus. Idem factum est ad indictiones Saxonicas die 2, 5, & 16 Maii, nihil tamen alium est in negotiis comitialiibus, singulis praetendentium jura sua defendantibus d). Sic anno 1743 Mortuo Philiberto Carolo Elect. Mog. legatus Saxonius iura domini sui salua praestabat et directorium exercebat, quod plenius docetur e).

- a) Stecks Abhandlungen aus dem deutschen Staats Rechte N. 9.
- b) Ant. Fabri Europaische Staats Canzley Parte 53 Cap. 22. Part. 54. Cap. 13. Part. 55 Cap. 17. vbi plenius omnia fide publica per tractata sunt scripta cum protestationibus et reprobationibus.
- c) Chursaechsischer Vertrag auf dem Rath Hause zu Regenspurg d. d. 7 Decbr. 1678 apud Kulpif. ad Monzamb. p. II. Cap. V. p. 162.
- d) Faber c. I. Tom. 59. Cap. II.
- e) in C. I. Feustelii disp. de directorio Comitiali, sede Moguntina vacante, aliisque simili casu Archimareschallo S. R. I. competente. Lips. 1746.



## §. 2.

*Praetenentes eorum, qui sede Moguntina vacante directorium Comitiale interimisticum postulant.*

Praemissa illustris controversiae historia ad eos deueniendum est, qui sede Moguntina vacante directorium comitiale interimisticum postulant. In quorum numero primum locum occupat Capitulum Moguntinum, deinde Elector Treirensis, tertium Coloniensis et quartum Serenissimus Saxonie Elector. Laudari quidem hoc loco etiam possente jura Electoris Palatini, cuius cause maxime fauerit, o παντα I. P. de Ludewig in Com. ad Aur. Bul. Tom. I. p. 178 nota h. coll. not. f. p. 170 — 172. Sed cum ea, quae his locis a summo viro adseruntur, id tantum probant, Archipalatinum olim jus conuocandi Electores ad electionem Regis et Imperatoris exercuisse, vix ac ne vix quidem fieri potest, vt ex hisce rerum gessarum monumentis argumentum ducatur, ad eiusdem Sereniss. Electoris jus deliberationes comitiales dirigendi. Nostrum itaque est, vt rationes, quibus singuli praetendentium nituntur, indagemus, eique tribuamus, penes quem iuris sumnam esse ex iurisprudentiae fundamentis videbimus.

## §. 3.

*Praetenso Capituli Moguntini.*

Diximus Capitulum Moguntinum ao. 1675 omnem operam adhibuisse, vt directorii in comitiis obtineret possessionem. Sed frustra egisse docet Ant. Faber l. c. t. 53. 54. & 55. Proferamus iam in medium argumenta, quibus Capitulum Mogunt. suam superstruit praetenctionem, vt perficiamus, vtrum illa aliquid in recessu habeant nec ne. Aiunt munus directoriale in Comitiis esse proprium Archipraesuli Moguntino, qua Archiepiscopo, quia sit primus in ordine Electorum, et primus inter status. Quanquam nemo in dubium vocabit, Electori Moguntino, qui fuerit pro tempore, ex Aurea Bulla Tit. I. §. 18. competere, vt Electores tam Ecclesiasticos, quam Saeculares conuocet, ut eorum suffragia colligat, tamen in eo voluitur totius rei cardo, an directorium Comitiale

tiale proprium sit Archiepiscopo, qua tali? Quod nullo pacto concedi potest. Nam

1) tunc aliis Archiepiscopis idem ius praetendendi directorium competenter.

2) Quia nullus colligere potest a dignitate Archiepiscopi ad directorium in Comitiis. Dignitas enim Archiepiscopi Ecclesiastica dirigit, directorium vero in Comitiis Saecularia administrat.

3) Quia plane diuersa est vtriusque dignitatis indoles et natura.

Aliud argumentum adseritur ab iis, qui a parte stant contraria, cum dicant, ex dignitate Electorali prabandum esse hocce directorium Comitiale, quod, quam debile sit, et nulla nitatur iuris ratione, quilibet intelliget, si perspexerit, iam a nomine Electorum contrarium esse statuendum. Electoribus enim, qui talibus, competit ius Regem et Imperatorem exclusis aliis Imperii statibus eligendi, nec hoc ius ullam habet relationem ad directorium in Comitiis obeundum. Quod argumentum si stare posset, directorium comitiale omnibus Electoribus esset concedendum, quod tamen ex natura iuris publici Germanici esse nequit. Nam aliud est eligere Regem vel Imperatorem, aliud directorium exercere. Quod itaque ius directorium in comitiis exercendi, quo gaudet Eminentissimus Elector Moguntinus, quaerendum est ex alio fonte, nempe ex dignitate Archicancellariatus Imperii per Germaniam. Quae dignitatis praerogativa propria est Moguntiensis Episcopo, qui est pro tempore, unde Primas Germaniae vocatur a). Ex quo Archicancellariatus munere proficisciuit ius conuocandi ad Electionem Regis Romani Electores, et comitia vniuersalia, nunc in perpetuum continuanda, dirigendi. Quum vero haec dignitas lege Imperii Fundamentalib[us] b) ius Electoris Mogunt[is] sit personalissimum, quod osibus eius inhaeret, efficitur, vt per Capitulum Moguntinum, sede vacante, directorium in Comitiis exerceri nequeat. Quod adeo verum est, vt testibus auctis publicis Capitulum ad functiones directorii Comititalis, Archicancellario proprias, nunquam admissum et si quid moliri voluit, constanter ei sit contradicatum, quod docet obseruantia Imperii; vim legis nača, Speciosum sane est argumentum,



mentum, quod adducit Neureuterus c), cum dicat, sede Mogunt.  
 vacante Vicecancellarium, omnesque officiales, tam in iudicio  
 Imperiali aulico, quam Camera Imperii Cancellariae inferuientes  
 nec ab Elect. Treuirensi, nec Colonensi nec Saxonico obstringi,  
 multo minus ab iis dimitti posse, cum illa potestas soli electori Mo-  
 guntino competit; pariter quoque curam sigillorum Imperatoriorum  
 et custodiam Archivii Imperialis non transferri ad alium  
 Electorem, sed Capitulum sub sua cura tenere omnia acta belli, pa-  
 cis, foederum & legationum. Quae quidem omnia bene se habent;  
 sed tantum abest, ut sententiam nostram euertant, ut potius ex-  
 ceptionis instar confirmant regulam: Archicancellarii iura nunquam  
 a Capitulo exerceri posse. Dantur alii, qui ex charactere repre-  
 sentatio, sede vacante ad Capitulum reuertente, directorium co-  
 mitiale ei adstruere conantur, cum dicant, totum ius Episcopale  
 mortuo Archiepiscopo, ad illud recurrere, cum omnibus acceffo-  
 riis, ex quo efficiatur, ut in omnia Archiepiscopi iura faccedat,  
 adeoque representare Capitulum demortuum Archiepiscopum,  
 et aqualem cum illo habere in Imperio auctoritatem d). Sed haec  
 ratio statim refellitur ex eo, quia character representativus in iuri-  
 bus, quae personalissima dicuntur, cessat e). Ex quo sit, ut qui-  
 libet perspiciat Capit. Mogunt. nullam formare posse prætensionem  
 ad dignitatem Archicancellariatus per Germaniam, oīibus Electro-  
 ris priuatiue inhaerentem, cum non adsit exemplum, Imperatores  
 et statu Capit. unquam hoc permisisse, et ex loco A. B. Tit. 7.  
 §. 2. appareat ius eligendi Imperatorem tribui Elect. Mogunt. per-  
 sonaliter tantum, qui *fuit pro tempore*. Etsi nemo negat, Capitu-  
 lum sedis vacanti orta immediate Imperio subesse, et si ad comiti-  
 a Imperii vniuersalia vocatur, et ad conuentus circulares, vbi per  
 legatum comparet, adeoque iure legatum ad comitia mittendi  
 fruatur, tamen ex eo nullus directorium comitiale ei tribuet, cum  
 à diuersis ad diuersa nunquam colligi possit. Vota quidem comiti-  
 a territorialia inhaerere apud omnes in confessu est, directorium  
 vero comitiale, quod est fundatio Archicancellario, qua tali,  
 competens, nunquam annexum est terrae Moguntinae. Nam capi-  
 tulum, licet illi iura territorialia salua remaneant, ab omnibus ius-  
 ribus

ribus Electoralibus excluditur. Quodsi verum est, in iuribus Electoralibus illud destitui, efficitur, ut non in suum legatum possit transferre. Quapropter legatus illius non qua Electoralis consideratur, sed qua personae ad Imperium Germanicum spectantis. Quibus ita disputatis, et rationum, quibus innititur praetensio Mogunt. Capituli subtilitate detecta, et repudiata, perspectu facile est, omnia iura, Electori inhaerentia, suspendi sede Moguntina vacante, usque dum nouis eligitur, qui antecessoris Electoris et Archicancellarii iura et functiones continuat.

- a) Sigibertus Gemblacensis ad annum 1054 apud Pistorium in Script. Rer. Germ. T. I. Cui concessus est Archicancellarius in Imperio Rom. Germanico.
- b) Aur. Bull. Tit. I. § 18.
- c) D. I. Georg. Neureuterus disp. de iure Capituli Moguntini circa directorum in Comitiis sede Moguntina vacante. Moguntiae 1743 § 50.
- d) Henninges in medit. ad Instr. Pac. Osnabr. Art. I. §. 17.
- e) I. P. de Ludewig ad A. B. Tit. I. 53 §. 18, not. h. T. I. p. 176 seqq.


#### §. 4.

##### *Praetensio Electoris Treuirense.*

Qui altero loco Directorium comitiale interimissimum posluit, est Eminentissimus Elector Treuirense, pro cuius causa licet Praetorius a) in eius iuriibus defendendis industrius sit et strenuus, nihil tamen in medium adduci potest, quod firma nittatur fundamento. Summa argumenti, quae pro confirmanda Treuirense praetensione, afferri possit, cernitur in eo, ut Elector Treuirense non minus quam Moguntinus Archicancellarius partes sustineat, quod quidem est verum sit, tamen inter omnes constat, eius Archicancellarium ad Galliam demum et ad regnum Arelatense tendere, nec ullam vim atque relationem habere ad S. R. Imperii Archiofficia, intra ipsius Germaniae fines exercenda b). Cum vero Elector Moguntinus qua Archicancellarius per Germaniam ex privilegio dirigat comitiam, in aprico est positum, cum priuilegia sint strictissimae interpretationis, illud ad alios casus nullo modo extendi posse. Nulla itaque ratione iuris, quae satis firma dici posset,

B 3

nittitur



nitur argumentum Treuirensis, quo in tuenda causa sua vicitur, dum prouocat ad concessionem a Moguntino sibi iam ann. 1441 indultam huius tenoris, vt Treuirensis perpetuus esset Moguntini per Germaniam Vicecancellarius. Iura enim singularia alienari, vel in alium omnino transferri non posse ab eo, cui illa competit, notissimi iuris est. Sed obiicitur Electorem Treuirensem secundum esse inter Electores, et obseruantum docere, vt directorium in proximum deuoluatur, mortuo primo vel absente. Quod argumentum ita oppugnandum censeo. Directorium comitiale Electori Moguntino, non qua primo inter Electores, sed qua Archicancellario per Germaniam competere, et alterum quod attinet, nullum adesse actum, quo appareat, Treuireensem in quieta directorium hoc, de quo quaeritur, exercendi fuisse possessione. Ergo et illa argumentatio nihil probat. Neque prouocare potest Elector Treuirensis ad vniensem Electoralem de anno 1521, §. 15, vbi in casu sedis Mogunt, vacantis, Treuirensi ius conuocandi Electores assertur. Nam in hac sermo non est de directorio in comitiis Imperii vniuersalibus, et ipsa quoque vno inter Electores tantummodo Rhenanos sicut celebrata, ita ut iuribus reliquorum Electorum S. R. I. nunquam derogare possit. Loquitur porro illa vno de speciali quodam casu, nempe de conuentibus Electoralibus c); qui, cum nihil habeant cum Directorio comitiali commune, inde nihil efficere potest, quod pro causa Treuirensi militet. Obstat enim, quod a particulari ad vniuersale non detur consequentia.

a) D. I Ph. Praetorius Conf. Trevir. Verfuch einer zu verfertigenden Abhandlung von den Chur Trierischen allein zufändigen hohen Directorial-Gerechtsamen bey erledigten oder anderweit behinderten Stule zu Maynz. Franckf. vnd Leipz. 1747. 4.

b) Aug. Bul Tit. I. §. 12.

c) Moseri Reichs-Fama Cap. 53. et Pfesslinger. in Vitr. Illustr. Lib. I. Tit. 6.

### §. 5.

#### *Praetensio Electoris Coloniensis.*

Assertio Electoris Coloniensis ideo attendi non meretur, cum quo nitorius eius Archicancellariatus ad Italiam demum pertineat a), qui

qui nullo paëlo ad Germanici Imperii fines potest extendi. Alia ratio, cui superstruit suam praetenisionem, versatur in eo, quod cum Treuirensi in negotiis comitalibus quodammodo alternet b). Sed sciendum est, hanc alternationem, quoniam nihil ei sit commune cum Directorio Comitali, ergo nec ad nostrum aduerti posse casum. Alternant quidem quoad rationem ordinis in sedendo obseruari solitam, non vero ratione ordinis in ferendis votis consuetam. Corruente igitur Treuirensi praetenione, nihil plane videmus, quod Coloniensis possit sustentare.


a) Aur. Bul. Tit. I. §. 11.

b) Schwederi Theatr. Praetens. Lib. IV. Seçt. XXIX, Subsec. I. Cap. I.

### §. 6.

#### *Praetenso Serenissimi Electoris Saxonici.*

Pertractauimus hactenus causas eorum, qui dum sedes Moguntina vacat, directorum comitiale interimisticum sibi vindicare student, quas iusto destituvi fundamento, ideoque facile refutari posse, satis nos docuisse putamus. Iam transeundum est ad iura Serenissimi Electoris Saxonici, quibus in allato casu vtritur, vt videamus penes eum iuris sumمام esse, unde hoc directorum vere ei competit. Videamus rationes, quibus in afferendo et sibi vindicando Directorio Comitali interimistico adstrui possit Serenissimus Saxoniae Elektor. Atque hic ante omnia natura Archimareschallatus nostrum observatur oculis, quo iure optimo innitendum est. Nostrum non est hic indagare originem Archimareschallatus, de qua inter scribentes multa lis est a), hoc tamen tam certum, quam quod certissimum est, illud officium a Francis suam ducere originem, apud quos talia Archiosufficia, qualia in Imperio Germanico deprehenduntur, inuenimus b). Et hic est Archimareschallus, qui apud Francos dicitur *comes sacri stabuli*, cuius functio vertebaratur in eo, vt pacis tempore inspectionem haberet super stabulo Regis, in bello autem equitibus praeesset. Quod et nostris valet moribus, cum orto bello Imperii Seren. Elect. Saxon. magister equitum sit. Cum his functionibus sedes et votum in consistorio Regis iunctum erat




erat, in quo comes sacri stabuli praecipuum locum occupabat. Teste enim Paulo Diacono, Archimareschallus tanti est habitus, ut eorum esset, exercitus ducente, regni limites tueri, atque onus regnumque curas suis humeris sustentare. Translata a Francis ad Germaniam forma et haec officia permanserunt, et ex consistorio regum Francorum successu temporis Collegium Electorum, aureorum S. R. I. fulcrorum, ortum est, atque formatum. Secundum enim antiquam Germaniae formulam Archimareschallus erat, castra locare, in quibus Imperii status conuenire confuerunt, comitia sub diu celebrare soliti, in quibus, auctore Paulo Diacono c) directio negotiorum comitialium cum Archimareschallatu indissolubiliter erat coniuncta, quea pro temporum istorum ratione non scribendu, sed suffragia colligendo, et ore tenus res suas proferendo absoluebatur. Porro Archimareschallus erat, vniuersam aulam, immo et conuentus solemnes, solemnes curiae dictos, dirigere. Cum itaque nunc Archimareschallus denotet directorem aulae vel comitorum, illudque reale munus sit, quod inter praecipua regni Francorum officia aulica referebatur, vberius patet, plures Directorii partes in Comitiis vniuersalibus Archimareschallo competere. Quae cum ita sint, nulli, nisi Seren. Elect. Sax. directorium comitiale interimisticum tribuendum est, quippe qui, viuente iam adhuc Moguntino directori habet subordinatum, quod tunc in plenum transit, si sedes Moguntina Praefule suo orbata est, duratque vsque dum nouus adest Elector Moguntinus qua Archicancellarius in Comitiis facis legitimatus. Quod vt eo melius cognoscatur, pauci verba facienda sunt iurium Archimareschalli, ad comitia relationem habentium. Certum est, Archiepiscopum Moguntinum, dum nouus Kom. Imperator eligendus est, vota Coelectorum debere perscrutari d), quo facto Electores omnes ipsum rogant, requiruntque, vt quid de eligendo Imperii capite sentiar, cum reliquis communicet e). Quae requisitio voti Moguntini fit per Electorem Saxoniae, non solum in ipso electionis actu, sed et idem obseruatur in comitiis Imperii vniuersalibus f). En! clarissima Electoris Saxoniae praerogativa! En dilicida directorii subordinati vestigia! Quis non agnolcat? Fluit porro ex officio Archimareschallatus, ex antiqua forma

forma potestatis iudicariae descendente, ut omnia vota vel per eum ipsum, vel per Mareschallum hereditarium Comitem de Papenheim colligantur. Hic nomine domini sui in collegio principum praesentes alloquitur legatos, iisque mentem, propositionibus Caesareis inclusam patescit, quod defatur f). Legati Comitiales ad Comitia, vel ad electionem Imperatoris venientes, necesse habent, ut nomina sua apud Archimareschallum profiteantur. Si Imperator eligitur, Archimareschallus adlibitis ex magistratu personis curam gerit, ut in vrbe copia esculentorum et poculentorum adsit, ne familia regalis per negligentiam et necessitatem opprimatur g). Electione ipsa initium capiente, iubet, ut peregrini, qui non ad Electores pertinent, vrbe excedant h). Si habet iurisdictionem tam ciuillem, quam criminalem in delinquentes i), de quo iure scribit Conradus Urspergensis k), praecepit *Imperator Mareschallo de Caludin et militibus suis, quatenus male factores transigaret, sibi eos habeat in iudicio.* Exercet hoc ius adhuc in Comitiis Sereniss. Elect. Sax. cum eius potestati iudicariae subiaceant omnes in Comitiis praesentes, si ab ipsis legatis, eorumque fecrariis discesseris, qui sub tutela iuris gentium latent, adeoque forum suum apud dominos suos habent: ut alia iura Archimareschalli taceamus l). Aliud argumentum, idque grauissimum, quo stabiliantur praesensiones Saxonicae, est transactio inter Albertum Elect. Mogunt. et Ioannem Elect. Saxon. de anno 1529, interueniente Ludovico Palatino facta m). Cum enim regnante Friederico III. Moguntino Saxoniae Elector super iure consultationes publicas indicendi, (über die Anlage) item moueret, per hanc transactionem componebatnr. In qua tria potissimum notata digna sunt,

a) *Vt in posterum praesente Rege aut Imperatore Elector Saxonie vota colligat; si vero non adest, hoc munere Moguntinus fungatur.* Vnde apparet, praecipuum ius Electori Saxoniae in colligendis votis concessum esse, vtpote cui postponitur Moguntinus.

b) *Ad deputationes Imperii quod attinet, res ita decisa est, ut primâ die Moguntinus vel eius legatus in reliquorum colligendis suffra-*



*suffragii versetur, Saxoniae vero Elector Moguntini votum perquirat, altera vero die Saxoniae Elector primus sit, et Moguntinus functionem Saxonici habeat.*

- c) *Si vero accidat, vt in his deputationibus Moguntinus vel eius legatus non compareat suffragiorum collectio iterum ad Saxoniae Electorem devolutatur, ita quidem, vt privatiue exerceat, nec quisquam eum in hoc iure perturberet.*

Constat porro schedulas indicatorias a Moguntino in Comitiis ad Cancellariam Mareschalli deferri, in qua excuduntur, et reliquis statuum legatis insinuantur n). Ex quibus perspicuum est, Archicancellarium, et Archimareschallum in exercendo directorio Comitiali ita iunctos esse, vt alter sine altero nihil plane efficere possit. Prouocat porro Elector Saxon, in demonstranda iusta sua assertione ad pactum inter Danielem Moguntinum, atque Augustum Sax. Elect. anno 1562 initum o) quod extat p) ad protocolla Collegii Electoralis ao. 1640, ad Comitia Ratisbon. ao. 1641, et ad congresum Osnabr. ao. 1647, vbi Saxo hoc ius quiete exercevit. Quis quae cum penitus apud animum suum perpendat, veritati tam inimicus est, vt neget Archimareschallo in Comitiis competere directorium minus plenum, quod mortuo Moguntino vigores pleni nanciscitur. Cui enim existente vero directore pars directorii competit, ei omnes absente, mortuo, vel impedito adstruendas esse optimo iure contendere possumus q).

- a) Aug. Adolph ab Haugwiz de Mareschallis, D. Mascovii diff. de origine officiorum aulicorum S. R. I.  
 b) Pauli Diaconi Hist. Long. Lib. 6. Cap. 16.  
     Wittek. Corbei. Lib. 2. Annal. p. 643.  
     Dithmari Merl. Chr. L. IV. p. 349.  
     Glafey Kern der Sachsischen Geschichte. Lib. 2. Cap. I. §. 26. seqq.  
 c) Cit. loc.  
 d) Aur. Bul. Tit. IV. §. 4. Tit. V. §. 13.  
 e) Strutius in Corp. Iur. P. Cap. VII. §. 77. Cap. XXIII. §. 24.  
 f) Londorius in Act. Publ. T. IV. p. 867.  
 g) Hincmar Episc. Rhein. in Epist. Ep. 4.  
 h) Diarium Elect. Caroli VI. p. 82. 83. et 123.  
 i) Tax Ordnung Io. Georgii II. Elect. Sax.  
 k) ad annum 1209.

l) ab


- l) ab Haugwiz cit. loc. et Glafey cit. loc.  
 m) extat apud Zwanzig. in theatr. practens. P. II. p. 6.  
     Lunigs Reichs Archiv. Part. Spec. p. 390.  
     Müller Staats Cabinet T. VI. Cap. I.  
 n) Fabri Staats Canzley T. 53. p. 665.  
 o) apud Lunigium part Spec. p. 396.  
 p) Struui I. P. prud. p. 540.  
 q) excusum apud Feustelium cit. disp.  
 r) Gottl. Horn von den edlen Erb Aemtern der Chur und Fürstl. Lande,  
     in f. Handbibl. der Geschichte von Sachsen.

## §. 7.

*Docetur, quando haec doctrina vigorem suum obtineat.*

Cum iura Electoris Saxon. circa hanc materiam explicauerimus,  
 mentio denique facienda est casuum, quibus hoc directorium sese  
 exercit. Quorum in cansum veniunt casus sequentes.

- a) Si sedis vacantia Moguntiae oritur, quod fieri potest vel mor-  
     tuo Electore, vel resignante, vel eo modo, quo quis desi-  
     nit gubernacula reipublicae tenere.
  - b) Si causa ipsa, quae tractanda est, vel in Comitiis, vel in  
     Conuentibus Electoralibus ipsum Moguntinum attingit a). In  
     quo casu, quod nemo in propria causa iudex esse possit, lo-  
     cum haber.
  - c) Si causa quidem ad Moguntinum non spectat, ille tamen a  
     directorio sponte abstinet b).
  - d) Si legatus Moguntinus defecit, si peregrinatus est, et si iu-  
     sta eius deficit in Comitiis legitimatio.
  - e) Si licet legatus in loco Comitorum adest, non tamen in deli-  
     berationibus comparet, vt docent verba laudatae transac-  
     tions: *Wo aber Niemand von des Erzbischofs zu Maynz wegen  
     erschiene oder zugegen wäre, damit denn die Sachen nicht ver-  
     zogen, oder aufgehalten werden, soll alsdann des Churfürsten  
     v. Sachsen oder dessen Bothschaften und Verordneten die Um-  
     frage zu thun haben.*
- a) M. H. Griebneri diff. de eadem materia Vitteb. 1712. §. 10.  
 b) Author der Grundfeste, Lib. II. Cap. 4. Verba, oder sonst nicht gerne  
     dran will.



## E p i l o g u s.

**Q**uae quidem essent, quae de materia hacce subtili et litigiosa ex natura iuris publici, ex monumentis publicis et classicis scriptoribus pro enucleando et stabilendo iure Serenissimi Electoris Saxonici, Patriae Patris Clementissimi, Principis Optimi, in hac scribendi opportunitate pro virium modulo adducere, et eruditorum examini submittere placuit. Nihil magis habemus in votis, quam ut aequi bonique lectores, si quae minus recte cogitata et expressa inueniantur, inuenili aetati, a qua non tanta eruditiovis vis et magnitudo efflagitanda est, quanta possent viri doctrinae laude conspicui, indulgere et condonare velint. Recordentur efflati Senecae, aestimanda esse ea, quae aggredimur, et vires, cum rebus, quas tentaturi sumus, comparanda. Quod si impetramus, laboris et praemii sat habebimus.

## C o r o l l a r i a.

- I. Populus, qua talis non subiacet imperio summi imperantis, sed vivit cum eo in statu aequalitatis personalis.
- II. Quantum satisfactorium secundum principia iuris naturae dependent a iudicio laesi.
- III. Quod non est causa belli, non praebet materiam pacis.
- IV. In dubio praesumendum est, principem territoriale habere omnia regalia, a quorum viu exclusum esse Imperatorem, donec probetur contrarium.
- V. Quoties princeps ex causa totius laesi imperii ciuilis contra laudentem arma capit, toties oritur bellum iuris gentium.
- VI. Felicitas ciuitatis ex legum paucitate perspicitur.




**ULB Halle**  
005 361 443

3







9322  
1781, 25.  
EXERCITATIO IVRIDICA  
DE EO, QVOD IVSTVM EST,  
CIRCA  
EXERCITIVM DIRECTORII COMITIALIS  
SEDE MOGVNTINA VACANTE.

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAЕ

IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE, FACVLT. IVRID. SENIORE,

ET ACADEM. DECEMVIRO

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. IV. MAII MDCCCLXXXI.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS ERNESTVS SCHMIDT

ILEBURGENSIS

L I P S I A E  
EX OFFICINA BüTNERIANA

